



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. De duabus legibus, juris dictionali, & diœcesana, in quibus rorum jus, seu officium, & potestas Episcopi consistit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## SECTIO III.

De Jurisdictione, officio,  
& potestate Episcopi

**E**piscopum (Si confirmatus sit, etiam si nondum sit consecratus) jurisdictionem obtinere in omnes suæ Diœcesis Clericos tam regulares, quam sæculares, nisi exempti sint, & in causis spiritualibus, ac mixtis, etiam in Laicis, certissimi juris est, & clarè patet ex c. 1. h. t. c. cum Episcopus 7. eodem in 6. c. cum sic 8. & c. ex tenore II. de foro competente: dubitantur tamen de hac jurisdictione aliqua: & hinc fit.

## §. I.

An Episcopis potestas sua jurisdictionis competat immediatè ex jure Divino, an verò ex jure humano, & Ecclesiastico?

**V**erissima sententia est, & tam inter Theologos, quam Canonistas hodie communis, quòd, quamvis in genere Episcopale munus, seu officium, & illius jurisdictionis ordinaria, sit à Christo immediatè instituta, in quantum tamen in particulari huic vel illi competens consideratur in ordine ad hos vel illos subditos, immediatè sit, & conferatur à Romano Pontifice, tanquam Vicario Christi, & Ecclesiæ capite, prout ex pluribus ac variis tam juris textibus, quam rationibus probari potest, & satis clarè ostendit potestas, quam penes Pontificem esse nemo negat, quæ potest Episcopum suâ jurisdictione privare, ergo tota hæc in specie, & particulari respectu hujus personæ à Pontifice dependet.

## §. II.

De duabus legibus, jurisdictionali, & diœcesana, in quibus totum jus, seu officium, & potestas Episcopi consistit.

**D**ebent multa Episcopis, & posse etiam multa Episcopos vi suæ jurisdictionis ordinariæ, tam ex lege diœcesana, quam ex lege jurisdictionis, certum est: & quamvis de his satis in specie constet, ex c. conquerente 6. h. t. ubi pluribus enumerantur, quæ sint jura Episcopalia, non tantum ab Ecclesiis parochialibus suæ diœcesis, sed etiam à Capellis, sive Ecclesiis, quæ monasteriis unitæ sunt, solvenda & exhibenda (nisi Capellæ tales monasteriis incorporatæ etiam ipsæ exemptæ sint) & in fine Capituli illius subjungatur, his jurebus in prædictis Ecclesiis contemptos esse debere Episcopos, nec amplius exigere aliquid (saltem de jure, quidquid sit de consuetudine, juxta quam non omnia jura, quæ in dicto Capitulo enumerantur, hodie in usu sunt) nisi subsidium moderatum, (quod subsidium charitativum appellatur) juxta formam præscriptam à Latranensi in c. cum Apostolus. de censibus in 6. de his inquam, quamvis satis in specie constet, & de pluribus aliis in sequentibus etiam §. agendum sit, dubitant tamen in genere multi, quænam dicantur ex lege diœcesana deberi, à qua regulariter & ordinariè omnia monasteria exempta habentur (ob favorem religionis, ut varia jura habent) etiam si aliâ jurisdictioni Episcopi subiecta sint, & quænam dicantur ex lege jurisdictionis deberi. Communiter ita dicitur illa regula, ex Gloss. in c. dilectus 18. h. t.



*h. t. V. de lege jurisdictionis*, quod ea spectent ad legem jurisdictionis, quæ consistunt in dando, seu conferendo, vel in actione judiciali, qualia sunt conferre beneficia, administrare Sacramenta, causas audire, sententiam ferre, delicta punire, excommunicare, &c. quæ verò consistunt in recipiendo, uti est Cathedraliticum, quarta decimarum, & mortuorum, ad legem diæcesanam pertinere: hæc tamen regula pluribus aliis displicet, cum negari non possit, procuraciones, quæ consistunt in recipiendo, etiam à monasteriis actu visitatis deberi, *c. sopita 14. de censibus*, & ad quartam mortuorum obligari etiam de jure Regulares *c. requisitis 15. de testamentis*, ergò vel malè dicitur, ea quæ in recipiendo consistunt, spectare ad legem diæcesanam, vel malè dicitur, monasteria à lege diæcesana esse exempta. Quidquid tamen de hac regula sit, sufficit eis, cui ea non placuerit, dicere, ad legem diæcesanam pertinere ea, quæ alii quidem Episcopo, non tamen monasteria præstare tenentur; alia verò, quæ etiam monasteria non exempta pati debent, ad legem jurisdictionis pertinere.

## §. III.

*De illis, quæ ad officium Episcopi ex lege jurisdictionis spectant, & in specie de potestate judicandi, inquirendi, puniendi, corrigendi, & reformandi.*

**A**D legem jurisdictionalem Episcopi non tantum pertinet cognitio judicialis omnium causarum, ad forum Ecclesiasticum externum pertinentium, ita ut cumulativè cum quolibet inferiore

Prælati, cui ordinaria fori externi jurisdictionis convenit, concurrat, & præventioni locus detur, ac sit de jure communi, penes actorem, in causis civilibus, coram quo iudice reum convenire velit, sed inquirere etiam, & punire delicta non tantum purè spiritualia, sed etiam quæ mixti fori sunt, non tantum Clericorum, sed etiam Laicorum, ita ut cogere eos possit, incarcerare, ad vitæ terminos condemnare, &c. & ad executionem hujus suæ potestatis armatâ etiam manu, si necessitas urgeat, uti possit, quam propriam sibi potestatem asciscere, aut invocare brachium sæculare, urgendo etiam ad hoc sæcularem magistratum, & si à Laico magistratu, ad puniendam subditorum delicta inquirente, requisitus fuerit, subditos illius contumaces censuris etiam ad obedientiam compellere potest, quæ omnia in diversis juribus hujus Tituli in antiquis, & in sexto habentur, &c. Possunt tamen etiam inferiores ordinarii iudices, contra Episcopum privativè præscribere, vel ea privilegio obtinere jus puniendi, & corrigendi suos subditos, uti habetur *in c. irrefragabilis 19. §. excessus h. t.* ita tamen, ut semper in habitu jus tale permaneat, in actum etiam redigendum, si inferiorum horum iudicum negligentia sit supplenda (nisi exemptio aliud jubeat) sive sæculares, sive regulares illi fuerint, uti habetur *ex c. quanto 7. h. t. & ex citato cap. irrefragabilis*, quam constitutionem in tantum etiam ampliavit Trid. *sess. 6. c. 4. de refor.* ut detur hodie Episcopis facultas visitandi, ac corrigendi, quoties opus videbitur, etiam auctoritate Apostolicâ, Capitula Ecclesiarum Cathedralium, illarumque personas, non obstantibus ex-